



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac  
Apostolica Historia**

**Steinhart, Franz**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90104692**

Jojada, Pontifex Judæorum & Dux. Filius Eliasib, Esdræ 2. C 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

Hic enim retenta semper Ducis autoritate post mortem Artaxerxis, quæ contigit quadragesimo Regni sui anno, Jerosolymam rediit; ubi post multa rursus honesta & laude digna opera jam senex defunctus est, vir, ut ait Josephus, ad virtutem & justitiam natus & in populares suos beneficentissimus relicto sempiterno sui monumento in Jerosolymitanis mœnibus.

Nehemias redit Jerosolymam, ibique moritur. Ef. 2. c. 13. v. 6. & 7.

Silet Historia Sacra per 250. annos.

Cum morte Esdræ & Nehemiæ sacra quoque quiescit historia per ducentos & quinquaginta annos; nullus enim sacer Scriptor toto illo tempore fuit, qui nobis quippiam de rebus Judæicis scriptum relinqueret; unde pauca, quæ ad Judæos pertinent, ex profanis Historicis petenda sunt, quorum primus Herodotus hoc Esdræ & Nehemiæ tempore scribere cœpit, ob id à profanis Authoribus Pærens Historiæ appellatus, qui tamen nihil ferè de Judæorum gente attigit, quòd Græcia, in qua scribebat, nullum cum iis bellum aut commercium haberet. Ad pertexendam igitur annorum seriem deinceps præcipua de rebus Regni Persarum, ac deinde Græcorum indicare placuit, donec iterum ad sacram Machabæorum Historiam perveniamus.

**Jojada, Pontifex Judæorum & Dux.**

Filius Eliasib, Esdræ 2. c. 12.

**X**erxes hoc nomine secundus, unicus Assueri legitimus filius post Patrem mensibus solàm duobus regnat, quo occiso Sogdianus Frater thronum septem mensibus occupat. Istò quoque à militibus interfecto tertius Frater Darius secundus deinceps novendecim annis imperavit; ejus auxiliò Lacedæmones post bellum cum Atheniensibus viginti septem annis gestum ipsas denique Athenas diu obsessas ceperunt.

Jojada succedit Nehemiæ. Xerxes II. Sogdianus. Darius II. Ab An. 3575.

**Jonathan, Pontifex Judæorum & Dux.**

Filius Jojadæ, Esdræ 2. c. 12.

**D**arius ex hac vita decedens duos filios reliquit Artaxerxem & Cyrum. Ille Rex, iste Asiæ Administrator à Patre designatus est. Cyrus regnandi avidus, acceptis à Lacedæmonibus, qui ipsius partes tuebantur, copiis Fratri bellum infert; cui tamen postea in prælio interfectus pacatum Imperium relinquit.

Jojadæ succedit Jonathan.

Artaxerxes. Ab An. 3594.

Ff 3

Non